



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Anshelmvs Ex Baronibvs A Schvande Abbas Heremi Decimvs Septimvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



ANSHELMVS EX  
BARONIBVS A SCHVAN-  
DE ABBAS HEREMI DE-  
CIMVS SEPTIMVS.



AC tempestate Henricus Cæsar per Friderici pa-  
tris in Italia moras Germaniæ res gerebat, juen-  
tâ egregiâ, sed præcipiti, & ambitiosâ. Vnde  
Mediblanensium vanis promissis, anno trice-  
simo quarto, facile aures præbuit, qui coronam, quàm ha-  
ctenus patri negarant, regimen simul Italiæ pontificis quo-  
que auctoritate pollicebantur, si aduersus patrem, in fœ-  
dus vniuersæ pene Italiæ daret nomen. Prætendebant ad  
illa multis patrem contra Ecclesiam iniurijs omnium in se  
vertisse odia. Et si ipse neget societatem, breui vtrumque

A. D. M.  
CIC. CC.  
XXXIV.

regno,

regno, & Imperio, pontificio hinc decreto, & inde reliquorum iustâ rebellionem exuendum. Fædus clam patratum. Quod tamen ubi Friderico nunciatū continuo in Germaniā, magno comitatu, Rheticis iugis, & primò Constātiā anno sequenti, mox Basileam, & Colmariam peruenit. Erat Haginoæ Henricus non absq; metu. Nam patrem, tamquā eorū quæ gesserat consciū, suspectabat, & licet ab initio multi operam suam promississent, ubi opus fuit, fermè dilabebantur; qui supererant, gratiam patris deditiōe arbitrariā uti quæreret suadebant. Igitur ad Patrem misit qui se in eius potestate futurum promitterent. Fridericus invisum, & inauditum in Calabriam misit, & Consentiæ includendum curauit, ubi paullo post obiit. Haut multò post in Italiam ipse redijt, quæ mox, ut excefferat, rebellionem inierat, nonnulla opida expugnauit, alia cepit, & excidit. Bellum interea, fædere inito, Henricus Constantiensis Episcopus, Hartmannus Kiburgi, & Diethelmus Toggēburgi Comites Cunrado abbati S. Galli intulere. Ipse opibus Friderici Imp. qui nonnullis vicinis urbibus Imperij abbati, suo nomine, adesset imperauerat, nō solum episcopum, & socios representit, sed quas voluit conditiones pacis imposuit. Anno tricesimo sexto, Fridericus multis in Italia, variā fortunā, gestis, contra Fridericum Austriæ ducem arma vertit, eumque magis exercuit, quam debellauit. Sequenti anno, primo Ratisbonæ, post Spiræ comitia habuit, utrobique Cunradum filium, quem Cæsarem designarat, principes adprobarent petiuit, & impetrauit, Aquisgraniq; coronandum curauit pene puerum. Tricesimus octauus annus solis inusitatā defectionem habuit, tenebræ nocturnis per diem pares, non sine præfagio turbarum, & miseriarum, quæ consecutæ sunt. Fridericus enim, constitutis ex animi sententia Germaniæ rebus, in Italiam redijt omnem belli impetum in confederatas ciuitates conuersurus. Pontifex continuo prothonotarium Apostolicum ad eum misit, orans, ut si pacem Ecclesiæ, si suam ipsius benevolentiam, quam multis officijs satis, nec multò antè perspectam habere deberet, tanti faceret, quanti

A. D. N.  
CIC. CC.  
XXXV.

A. D. N.  
CIC. CC.  
XXXVI.

A. D. N.  
CIC. CC.  
XXXVII.

A. D. N.  
CIC. CC.  
XXXVIII.

Christianum principem facere oporteret, constituta cū Longobardis ab Friderico auo pacta, & fœdera, quæ neque Henricus pater imminuisset, aut commutasset, & ipse sancta testata haberet. Missi quoque, eadem de re tres Cardinales, qui omnes frustra fuerunt. *Non enim, inquit Blondus, tam Longobardos quam ipsum pontificem de primere, & in nihilum dare versipelli ingenio cogitabat.* Itaque primò, præsentibus adhuc Cardinalibus, in Brixianos duxit, eorumque urbem evertit, dein in Mediolanenses, quos cum socijs eorum, ingenti prælio, superavit. Romæ quoque corruptos promissis aliquot nobilitatis contra Gregorium pontif. concitavit. Igitur cum omnia pontifex tentauisset, postremo muleo atrocis ferocientem piorum cætu exclusit, anno sequenti. Neque minus fœdis interea scriptis sese Pontifex, & Imperator, toto Christiano orbe, dispersis lacerare ceperunt. Et Gregorius quidem facillè sibi obiecta falsa esse ostendit. Tum vero Fridericum ingratum, sacrilegum libertatis Ecclesiæ oppressorem, Sicilia tyrannum coarguit. Ipsum in odium piorum Saracenos Christiani nominis perduelles fouere, & circum se habere, terræ sanctæ recuperationem impedire, Crucis promulgationem irridere, alia patrare. Non decant tamen qui quædam in Friderico negarent, alia excusarent, quin summæ nihilominus & superbæ, & impietatis fuerit nemo bonus, & pius in dubium vertit. Exortæ, eodè tempore, Gibellinorū, & Guelphorum pestes, nominibus ab Cunradi III. regno, & Germania repetitis, de quibus plena scriptorum monumenta. Sed Fridericus furore, & spe, anno quadragesimo, longè, lateque sæuire, ferro, flammâ, vastitate vndique grassari omnibusque cruciatibus enecare, quoscumque aduersariorum in potestate habuit, cepit. Gregorius pontif. tantis calamitatibus oppressus, omnique humano exitus auxilio ad Deum se conuertit, factaque ex Laterano in basilicam Apostolorum supplicatione, orationem commiseratione, & lacrimis plenâ habuit, omnesq; ad Crucem, contra scelestissimum DEI, & Ecclesiæ tyrannū animavit. Et diuino factū Numine, vt à quibus toties ipse dissenserat, imminente

Urbe

A. D. N.  
CIC. CC.  
XXXIX.

A. D. N.  
CIC. CC.  
XL.

Urbe ferocissimo hoste, corruptis ab eo præcipuæ nobilitatis plerosque Romanos tamen in suam defensionem armavit, & salutari monumento insigniuit. Neque tamen Fridericus defuit, muros, & portas omnibus conatibus inuasit. Repulsus tamen à Crucigeris furens, & fremens omnia extrema in captos exercuit, suburbana ferro, flammaque perdidit. Cassinense quoque nobilissimum monasterium diripuit, monachos profligauit, aurea, & argentea vasa, & sacram supellectilem in nummos redegit. In omnibus his præcipuâ, scilicet Saracenorum, Christi hostium operâ vsus. In Sicilia haut leuiori insaniâ contra Ecclesiasticum ordinem debacchatus est. Dum in Sicilia moram facit, procul à metu, paullò quietior Gregorius pro reformatione Ecclesiæ concilium in Lateranum indixit, simulq; contra Fridericum, toto orbe Christiano, crucem promulgari curauit, & qui ei adhærebunt, excommunicauit. At vero legati, Cardinales, & episcopi, antistitesque alij, qui ad Concilium itabant, obsessis itineribus, plerique à Cæsarianis intercepti, non pauci interfecti. Neque diu fuit cum ex Sicilia in Italiam Fridericus trajecit: Fauentiam acriter, mense Decembri obsedit, in Germaniam pro supplemento misit, auxilium quoque à Tigurinis, & tribus communitatibus Vrania, Siluania, Suintia petiuit. Promiserunt militem hæ tres, & eius se propugnaturas partes si diploma daret, quo diplomate, testaretur liberos eos homines esse, liberèque, & sponte Imperatoris dominium agnoscere, se eadem eos in libertate defensurum, nec abalienationem ab Imperio vnumquam permissurum. Concessit omnia Imperator edicto, eadem in obsidione Fauentiæ, anno eodem & mense. Sed eodem tempore, plerisque in ciuitatibus, & urbibus ortæ inter Ecclesiasticos, & laicos dissensiones, & turbæ; illis pontifici, his Imperatori adhærentibus. Tigurini postremo, quidquid pontificiæ partis erat vrbe eiecere, anno quadragesimo primo, pridie Idus Ianuarij; manseruntque sine sacris, & cultu diuino annos vndecim. Fridericus eadem de causa Tigurinis priuilegia multa dedit, regalia, quæ sola monasteria

A. D. N.  
CIC. CC.  
XLI.

possidebant, in opidanos transtulit. Quâ tempestate, cum Gregorius propter Ecclesiæ, & Italiæ libertatem diu pugnasset, super alia multa, suaue illud, & præcellens Hermani Contracti ex comitibus Veringe Augiæ monachi ad *DEIPARAM MATREM* canticum *SALVE REGINA MATER MISERICORDIÆ* certis officiorum horis decantare in Ecclesia instituisset, mœrore, & tædio exhaustus est. Electus successor Cælestinus IV. non vltra octauum, & decimum diem præfuit. Vacauit hinc pontificia sedes menses nouemdecim, aut viginti vnum, vt alij prodiderunt, donec scilicet Cardinales, quorum magnam partem Melphitano carcere Imperator retinebat, liberarentur. Anno quadragesimo se-

*A. D. X.*

*CLV. CC.*

*XLII.*

cundo, postremò Fridericus Balduini Constantinopolitani Imper. & Remundi Tholosæ Comitis, aliorumque principum virorum auctoritate, & precibus Cardinales, & ceteros antistites custodia exsoluit. Ipsi Sinibaldum Fliscum Lauania Comitem Genuensem, quo Fridericus amico, & familiari vsus erat, tamquam eâ specie pacis, & concordia arbitrum, pontificem nominauere, annuente etiam, & approbante Imperatore, quamquam haut ambiguus futuri, composito responso, de eius electione iudicium eius requirentibus intulerit, cum pontifice hoste acerrimo, se amicum, & benevolentem Cardinalem permutauisse. Sinibaldus

*A. D. N.*

*CLV. CC.*

*XLIII.*

Innocentium quartum se vocauit. Circa hæc tempora, & annis sequentibus, Germanicâ linguâ latinis literis publica, priuataque instrumenta scribi cæpta, quamquam jam tempore Caroli M. de referenda in litteras quoquo modo eadem lingua esset tentatum. Germani quoque in sacra ablutione sanctorum, & Latinorum nominibus suos initiare coeperunt, cum patrijs, & barbaris hæctenus essent vsi. Anno quadragesimo quarto, Antonius ciuis Rapersvillensis sua prædia omnia quæ vico Hegenouue possidebat permisso, & consensu Rudolphi Comitis aduocati Monasterio nostro donauit, & eadem rursum ab Anshelmo in beneficium accepit. Huius rei in Heremo factum instrumentum cuius testes fuerunt, *Burcardus de Bonsette decanus Heremitarum,*

*A. D. X.*

*CLV. CC.*

*XLIV.*

*Vlricus*

*Vlricus de Hasela, Petrus de Vinhinburg, Vernerus plebanus de Oberksilche, Henricus de Nuole, & P. de Buchs plebani, Henricus de Verdegke, de Enievillermilites, &c. Ind.*

11. Anno quadragesimo quinto, Innocentius pontif. operâ maximè Balduini Imper. serio cum Friderico de pace agere cepit, & Castella opidum, quo arbitri conuenirent, dictum. Cum verò infidias sibi, & verba tantum dari certo certius perspiceret, auxilio Genuensium, & Sabaudia Comitis, cui neptem desponderat, in Galliam aufugit, Lugdunumq; concilium conuocauit. Eo in Concilio, cum Fridericum frustra sapius citauisset, omnium, qui aderant, consensu Ecclesie hostem pronunciauit, honore, & dignitate Imperij, & Sicilia regno exiit, publicâ sententiâ, editâ xv 111. Kal. Septemb. Misit hinc ad principes in Germaniam vt regem alium nominarent. Anno sequenti, nonnulli procerum Virceburgi conuenerunt, & Sigefridi Moguntini archiepiscopi suasu, & auctoritate Henricum Hafsia, & Thuringia Landgrauium regnare iusserunt. Is, collecto quamprimum exercitu, contra Cunradum Cæs. qui per patris absentiam Germaniæ præerat, duxit, proelioque prope Francofurtum superauit, & Germaniâ expulit, Nonis Augusti. Arma hinc aduersus Friderici sectatores circumtulit. Sueuiam anno septimo & quadragesimo, vtrique maximè fidam, tamquam hereditariam, vastauit, Rietlingam frustra oppugnauit. Vlmam mox obsidione vallauit, qua in obsidione sagittâ petitus, cum ad vulneris dolores dysenteria accessisset, siue inditum inter medicamenta venenum fuit, paucis diebus excessit. Rescripsit subito Innocentius vt alius in eius locum substitueretur. Principio anni sequentis, multis tandem eius litteris, & hortatibus, pauci principum Nouesij Gulielmum Hollandia Comitem Cæsarem dixerunt. Is Belgarum maximè opibus, & Cunradi Colonienfis archiepiscopi fauore exercitum Francofurtum, antiquâ consuetudine, deduxit, vbi aliquantisper cum substitisset Aquisgranum regressus coronam regni Germanici ab eodem Cunrado accepit. Hoc eodem anno, defuncto x 11. kalend. Septemb. Henrico Con-

A. D. N.

C15. CC.  
XLV.

A. D. N.

C15. CC.  
XLVI.

A. D. N.

C15. CC.  
XLVII.

A. D. N.

C15. CC.  
XLIX.

A. D. N.  
CIX. CC.  
XLIX.

stantiæ factus episcopus eius propinquus Eberhardus dapifer à Valdburg, præfedit an. x xvi. Per Imperij turbas, & dissensiones multa vndique foeda facinora patrata, rapinæ, iniuriæ, incendia, cædes, funera. Aduersus Heremitas præcipuè Vernerus ab Horenberg, nullaque alij fuere. Quos ea de causa cum Anselmus apud Constantiensem episcopum accusauisset, neque quidquam remitterent, aut restituerent, vt piorum cætu, excommunicationis latâ sententiâ, excluderet, impetrauit. Quam sententiam, quo validior esset, ab Innocentio pontif. confirmari curauit. Pontificiæ bullæ editio facta Lugduni III. Nonas Martij, pontificatus anno sexto, Christi liberatoris post millesimum, ducentessimum, quadragesimo nono. Quo tempore graue natum in Turgouia inter episcopum Constant, & Abbatem S. Galli dissidium. Quæsitâ vtrimque in bellum auxilia, & illi, opes extrâsthenanis maiores: abbas ducibus antistabat, adscitis Comitibus Rudolfo Habsburgensi, Rudolfo Rapersvillensi, Hartmanno seniore Kiburgensi, Glaronensibus quoque, & Suiijs. Prælij loco, dieque constituto, cum vtrimque vires superesse ad victoriam viderentur, & omnes eo tenderent, jamque in eo essent, re inopinatâ, Rapersvillensis prudentia pacem, & amicitiam inter antistites redintegrauit. Fridericus interea relicto, qui Longobardiam regeret, Entio filio notho, multis frustra tentatis contra pontificios, & retro fluentibus omnibus, in Apuliam ægritudine correptus se recepit. Entius cum iussu patris Friderici ferret auxilium Mutinensibus cum Bononiensibus apud D. Ambrosij pontem congressus in hostium potestatem venit, nullaque re, vt dimittatur, impetrat, cum pater minis, dein precibus, & precio deprecatoribus vteretur, cum tantum auri pro redimendo filio polliceretur, quâ tum ad Bononiæ moenia circulo aureo cingenda sufficeret. Sic captiuus xxi. annos, menses x. dies xvi. tenetur, aliturque regio more publicâ Bononiensium impensâ. Sic defunctus magnificentissime, ac piensissime funeratus est, & tumulatus, præterea & simulacrum in perpetuum & hosti, & captiuo monumentum S. P. Q. Bononiensis



nienſis poſuit. Hæc quidem nos ferme ex eius epitaphio, quod cum cura aliquando legimus, imò exſcripſimus, in deſenſionem quidē optimæ, & humaniſſimæ ſtudioſum etiam noſtrorum matris: quando alij ferme plerique longe aliter de hac captiuitate tradiderunt, ſimul vt aliquam benevolentiffimæ Ciuitati grati, & beneuoli animi ſignum, & teſtimonium exhibeamus. Qui ſecutus eſt annus quinquageſimus clarus fuit Friderici morte. Fato deſunctus eſt xlii. Decembris, valetudine, aut Manfredus nothus, inſectis inter quieſcendum puluillis, exanimauit in Florentino caſtello Apuliæ, haut procul Luceriâ ſito, ætatis quarto & quinquageſimo. Vbi nuncium eius mortis accepit Cunradus Cæſ. qui in Germania cōtra paternos hoſtes bellum gerebat, continuo in Italiam, retinendis Siciliæ, & Neapolis regnis, maturauit. Poſtea qui ſucceſſerūt annos ferme ſcriptores meliores ad Rudolſum vſque Habsburgenſem in interregno poſuere, quamuis non deſuerint, qui ſe reges nuncuparunt Cunradus, Heinricus, Richardus, Alſonſus. Eorum ſequi iudicium inclinatumus, eo magis quia nemo eorum cōmmuni conſenſu principum electus, aut totius Germaniæ potitus eſt regni. Sequenti anno, quo maior honos, & veneratio accederet ad ædem DEIPARÆ Matris in Heremoſitæ Innocentius pontifex viſitantibus pietatis cauſâ feſtiuiſ Christi liberatoris noſtri, & Virgineæ Matris, itemque in diebus Dedicacionis peccatorum relaxationem promiſit, bullâ ſingulari, Pontificatus ſui Anno octauo. Cunrado interim in Italia morante, multæ paſſim ex eius abſentia, quaſi nemine regente, & vulgatâ per libidinem agendi licentiâ, exortæ cōtentiones, & turbæ. Ob ea Tigurini, Suitenſes, & Vranij fædus in tres ſequentes annos tuendis ſuis opibus iurauere, Tigurini xvi. Kal. Septemb. Nec multo poſt, ingreſſiente Nouembri, redijt in Germaniam Cunradus, Heinricique Bauariæ ducis cognati fauore, & opibus magnum exercitum comparauit, hiberna Ratiſbonæ habuit. Vbi eius aduentum, & decertandi animum percepit Gulielmus, magnis itineribus Ratiſbonam verſus ſub initium anni quinquage-

ſimi fe-

A. D. M

C L V.

C C. L.

A. D. N.

C L V.

C C. L I.

A. D. N.  
CIX. CC.  
LII.

fimi secundi tetendit. At ille cognito plerosque principum à se abalienatos rursus in Italiam aufugit. Anshelmus hoc tempore certam frumenti quot annis mensuram decumas Monasterij Milani Antonio cui Rapersvillensi concessit, ipse contra dedit marcas argenti quadraginta in id pactum, ut si promissis fidem destituisset, pecunia illa caderet: sin eadem decumas repetere vellet abbas, argenti restitutione Antonius, interim commodum suum exijs quæreret. Eius reifactum instrumentum octavo ante Purificationem DEIPARÆ. Testibus *Rudolfo comite Rapersvillensi advocato cuius permissu, & consilio id factum, Rudolfo parocho de Vstri, alijs.* Erat tum Heremi Custos Burchardus ex Baronibus à

A. D. N.  
CIX. CC.  
LIII.

Vulfinge. Anni sequentis xi. Kalend. Junias diem Neapoli extremum obiit Cunradus languore animi, alij eiusdem Manfredi dolum existimauere. Reliquit ex Elisabetha Bauara filium vnicum Cunradinum Siciliae, & Neapolis regem. Innocentius pontif. mortuo utroque Friderico, & Cunrado, in Italiam redijt, breuique patrimonium Ecclesiae, nemine resistente, recuperavit. Neque multo post Neapoli defecit

A. D. N.  
CIX. CC.  
LIV.

anno quinquagesimo quarto. Successit Alexander pontifex i v. pater pauperum. Hoc anno, consecratum fuit templum, & monasterium sanctimonialium, apud Montem Angelorum quod sub Henrico abbate quarto Henricus presbyter, & Parochus Buochsi suis opibus ante annos ferme tringinta condere ceperat. Sequenti mox die, id est, Idibus Iunij, quod his sanè turbidis, & infestis pietati, atque religioni temporibus, memorabile visum, sacro velo ibidem induta supra quadraginta virgines. Anno sequenti, Alexander Manfredum paullo ante in gratiam ab Innotio receptum, ne quid contra auctoritatem Ecclesiae adtentaret, commonuit. Ipse non solum non paruit, sed continuo etiam copias coegit, Saracenos maxime contra eum duxit, legatum Apostolicum superavit, multosque regni Neapolitani primores ad deditiorem compulit. Per praeterita bella, & discidia cum Caesarianas partes sequuntur, & defendunt Rudolfus, & Hesso barones ab Vfenberg terrae Brisgouiae

A. D. N.  
CIX. CC.  
LV.

quadam

quædam monasterio nostro intulerant præcipuè in eadem  
 Brisgouia, in qua, eâ tempestate, amplas possessiones habe-  
 bamus, vnde vt Anselmo aliquatenus satisfaceret feodum  
 quoddam duorum millium piscium, quod ab eo, cum alijs  
 pluribus feodis, & beneficijs, possidebant, Rudolfus in ipsi-  
 us Anselmi; Hesso in Alberti de Bieterthan ab ipso eadem  
 de causâ destinati manu resignauere, cum omni, quo huc-  
 usque vti, frui potuerant iure. Cuius rei instrumento  
 præter sua curarunt sigilla adiungi episcopi Basiliensis, Con-  
 radi de Fridberg, & Rudolphi Rapersvillæ Comitis, in præ-  
 sentia testium Vlrici nobilis de Eystat, Petri de Stoeffen, Val-  
 teri Dapiferi, militum, anno quinquagesimo sexto. Guli-  
 elmus, eodem tempore, tamquam Imperij securus, comi-  
 tia Coloniae ante diem viii. Kalend. Iulij habuit, & inter alia  
 in proximam Quadragesimam expeditionem Italicam pro  
 coronatione indixit. Audito deinde Frisiorum motu, in eos  
 arma conuertit, dumque egregius animi agmen præcedit,  
 locaque per paludes periculosa tentat, casu equi conflictatus,  
 aut ab Frisij, qui in arundineto exploratores confederat, pro-  
 gregario interfectus v. Kalend. Ianuar. seq. Ex eius morte,  
 & turbarum metu, sexaginta secundum limitem Rheni vr-  
 bes, & opida, multique nobiles, & proceres regni fædus con-  
 tra quamcumque vim, & præcipuè latrocinatium impetum,  
 & rapinas concluderunt, in quibus Basilea, & Tigurum. An-  
 no quinquagesimo septimo Imperij primores post Guliel-  
 mi eadem per discessionem duo Cæsares nominauerant, alij  
 Richardum Cornubiæ comitem regis Angliæ fratrem, alij  
 Alonsum x. Castellæ regem cognomento Sapiëtem, Astro-  
 nomicis à se conditis tabulis celebrem. Anglus ab Colo-  
 niensi archiepiscopo coronatus Basileam vsque ascendit, ne-  
 que multo post, deficiente sumtu, & qui creauerant ad sua  
 quique receptis, in Britanniam redijt. Ad Alonsum qui  
 electionem eius denunciarent missi Eberhardus Constant.  
 episcopus, & Berchtoldus S. Galli abbas. Is eorum, & cæ-  
 terorum principum de se opinionem magnâ alacritate am-  
 plexus, ne inire Imperium posset varia post cum Mauris bella

præpedi-

A. D. N.  
 CIO. CC.  
 LVI.

A. D. N.  
 CIO. CC.  
 LVII.

præpediere. Hac dissensione, & Schismate regni, cùm inter plures imperantes, nemo qui regeret adesset, cuncta pro cuiusq; libidine procederent, tres Communitates, Vrania, Suitia, Siluania Rudolfum Comitem Habsburgi & Landgrauium Alfatia suis rebus defendendis præfecere, magna ea tempestate virtute, & belli laude principem. Biennio post, Rudolfus Baro à Vedisvilla, cùm liberos nō haberet, de amicorum consilio, quas possidebat Milani Heremitarum beneficio Vinciarum decumas, Anshelmo cùm earum vice tres & sexaginta argenti marcas accepisset, restituit, omniq; suo, & posterum iure sponte cessit. Ait enim. *Sciant igitur tam presentes, quàm posteri, quod ego Rudolfus de Vedisville vini in Meylan quas à Monasterio Heremitarum in feodum habui, & possedi amicorum meorum consilio in manus domini Anshelmi Abbatis Heremitarum libere, & voluntarie resignavi, & cessi omni iuri, quod mihi in eisdem decimis competebat, vel competere videbatur, maxime cum tunc temporis filios non haberem pro qua etiam resignatione, & cessione summa sexaginta trium marcarum argenti mihi à dicto domino Abbate, & suo monasterio est refusa. Renunciaui itaque pro me, & meis heredibus seu quibuslibet successoribus omni actioni, impetitioni & repetitioni contra Monasterium heremitarum super præfatis decimis quo minus pacifice, & quiete dicta Ecclesia Heremitarum supradictas decimas per meam venditionem ad ipsam reuerfas, deinceps valeat, & debeat possidere. Et ut hæc apud posteros, & presentes firma permaneant tradidi hoc instrumentum sape dicto domino Abbati, & suo monasterio cum sigillo domini Rudolphi Comitis de Rapersvivil, & etiam mei sigilli munimine roboratum. Acta sunt hæc apud Phefimon iuxta lacum Thuricinum Anno domini Millesimo, ducentesimo quinquagesimo nono Indictione 11. 111. Idus Februar. in presentia testium qui subscripti sunt. Supra nominatus dominus Anshelmus Abbas Heremitarum, Rudolfus Comes de Rapersvivil, Rudolfus Scholasticus Heremitarum, Arnoldus capellanus de Rapersvivil, Conradus plebanus de Buchs H. vicecapellanus in*

A. D. N.

C19. CC.  
LVIII.

A. D. N.

C19. CC.  
LIX.

M. CC. X.

M. CC. XI.

M. CC. XII.

M. CC. XIII.

M. CC. XIV.

M. CC. XV.

M. CC. XVI.

M. CC. XVII.

M. CC. XVIII.

M. CC. XIX.

M. CC. XX.

M. CC. XXI.

M. CC. XXII.

M. CC. XXIII.

M. CC. XXIV.

M. CC. XXV.

M. CC. XXVI.

M. CC. XXVII.

M. CC. XXVIII.

M. CC. XXIX.

M. CC. XXX.

M. CC. XXXI.

M. CC. XXXII.

M. CC. XXXIII.

M. CC. XXXIV.

M. CC. XXXV.

M. CC. XXXVI.

M. CC. XXXVII.

M. CC. XXXVIII.

M. CC. XXXIX.

M. CC. XL.

M. CC. XLI.

M. CC. XLII.

M. CC. XLIII.

M. CC. XLIV.

M. CC. XLV.

M. CC. XLVI.

M. CC. XLVII.

M. CC. XLVIII.

M. CC. XLIX.

M. CC. L.

M. CC. LI.

M. CC. LII.

M. CC. LIII.

M. CC. LIV.

M. CC. LV.

M. CC. LVI.

M. CC. LVII.

M. CC. LVIII.

M. CC. LIX.

M. CC. LX.

nus in Tuggen, Eberhardus vicecapellanus in Uffenoue, Vuernerus de Oberkilch, Io. plebanus de Grabes, Ro. de Matzingen, Rom. de Ruchenstein, Albertus de Vrikon, B. Villicus de Kaltenbrunnen, Ulricus de Vuolraue, R. & H. fratres de Turri, H. de Ebenoche, P. de Rambach milites, H. Scultetus de Raperfvuile, Richuinus de Vuolraui, Nicolaus de Kaltenbrun, C. de Humbrechtikon, H. dictus Sidelle, C. de Borsinkon, R. dictus Ebol, Vlricus minister de Uuedisvuile, & aliquam plures.

Erant vero hi testes, excepto Rudolfo Comite advocato, Anshelmi, & Monasterij nostri ferme omnes ministeriales & fiduciarij, obnoxijque, nobilissimis familijs oriundi. Ab prædicto vero Rudolfo Barone Vædisvillano crediderim Vædisvillam eius dominium peruenisse ad Ordinem S. Iohannis Hierosolymitani.

Eodem anno, supradictus Rudolfus Comes Raperfvillæ aduocatus noster monasteriū sanctimonialium Cisterciensis ordinis Vurmsbach, quod paullo ante ex castro supra Raperfvillam ad lacum Tigurinū eiusdē nominis, eodiderat, voluntate, & consensu vxoris Mechtildis, & filij Vincentij, dotauit IV. Idus Octobris. Idem Bollingam antiquum quondā tempore S. MEGINRADI monasterium exruinis, & ruderibus instaurauit, sanctimonialibusque Præmonstratensis ordinis tradidit, v. Idus Decembris. Bollinga multis post annis colidit. Causas ignoro, nisi fuerint bella, & temporum miseria. Quæ eius fuerant Vurmsbacensi adiuncta. Mediâ ætate anni sexagesimi obiit tenerâ adhuc ætate Vincētius Rudolfi Comitis F. & Mechtildis vnicus, incredibili parentū dolore. Nam præter Elisabetham, quâ Ludouico Hombergæ Comiti desponderât, prolem aliâ non habebât, & vltimus suæ stirpis erat, ætate jam ingrauescēte, Rudolfus. Excessit quoq; auctūno proximo pontifex Alexander, cū Bollingensem instauratiōnē ab Rudolfo factam VI. Idus Iunij confirmasset. Sublectus Urbanus IV. qui haut multo post dotationē Vurmsbacensem etiam ratâ habuit, primo sui pontificatus anno. Sed Comes Rudolfus cum præter Elisabetham, vt diximus, prolem non

A. D. N.  
CLO. CC.  
L X.

Y haberet

haberet aliam, multa verò, vltra Heremi aduocationē, masculina monasterij beneficia obtineret, cum Anshelmo egit, anno sexagesimo primo, vt que Elifabeta post suum obitum non modo in aduocatione succedere, sed eisdem beneficijs frui posset impetrauit. Eius rei exstat instrumentū, cuius quia Comitis ingenuā sinceritate, & Anshelmi generosā liberalitate plenum pauca subieci. *Nouerint igitur tam posteri, quā presentes quod ego Rudolfus Comes de Raperswil recognosco, & profiteor, quod vniuersas aduocatas, quas super possessionibus Monasterii Heremitarum extra montem, qui vocatur Etzlin, sitis, habeo, vel à me in feodo habentur, à dicto monasterio feodaliter possideo, sicut id a meis progenitoribus, & compatriotis ad meā, & omnium provincialium noscitur peruenisse, quas etiam aduocatas cum alijs meis feodis à dicto Monasterio habitis de generosa domini Anshelmi presati Monasterii Abbatis benignitate filie meae Elizabeth per manus eiusdem Abbatis obtinui concedi, & assignari, vt post meum obitum tam aduocatie predictae, quam etiā alia mea feoda ad eam libere titulo feodi deuoluantur. Omnia etiam mea feoda, quae a sepe dicto Monasterio Heremitarum, praeter aduocatas habeo, & possideo de gratia supradicti domini Abbatis uxori meae Mechtildi titulo, qui vulgariter Lipdinge dicitur, concessa, & assignata sunt, quo vsque ipsa vixerit nihilominus possidenda. De nauulo autem in Urinckon, & vino in Pseffickon dilucide protestor, quod illa duo feoda sic possideo, & tali modo teneo, vt, me decedente, siue filios, vel filias reliquero, ipsi nihil iuris habeant in his feodis, sed ad Monasterium Heremitarum redeant apud ipsum sine contradictione qualibet permansura. Et vt haec firma permaneant, placuit praesentem literā sigilli mei munimine cōmuniri. Acta sunt haec in castro Raperswil, Anno Domini M. CC. L. XI. quarto Idus Ianuarij in praesentia testium qui subscripti sunt, Rudolfus nobilis vir de Vediswil, Magister R. Scholasticus Heremitarum, Ar. plebanus de Raperswil, Vuernherus plebanus de Oberkilchen, Ioh. plebanus de Grabs, Io. miles de Ruchenstein, Ioan. miles dictus Rumor, & C. filius suus, Berchtoldus Villicus de*

Kaltbrun-

*Kaltbrüne & Ni filius suus milites, R. & H. milites fratres de Turre, Burcardus frater ipsorum, H. miles de Ebnorte, Ar. & Vualt. filij sui, Henricus miles de Ouue. B. de Bosinc-kon, & alii quam plures.*

Paucis post diebus idem Comes Rudolfus absurtus est : xviii. Kal. Febr. sepelierunt, relicta coniuge Mechtilde grauidâ. Eius morte nunciata, tamquam Rapersuillensium Comitum postremi, quia tota Rapersvilla vetus, & pars Nouæ, (cetera ad nostros pertinebât) pluraq; vtraq; laci Tigurini ripa, quæ tenuerat Rudolfus, Monasterij S. Galli beneficia erât, cõtinuo dimisit Berchtoldus abbas qui vtroq; in opido, vicinaq; regione, quidquid sui iuris aderat, suo, & monasterij sui nomine vindicarent, manuq; adfererent. Ciues, & incolæ, vicaniq;ue, quatinus vterum Comitum defuncti vxor ferebat, incompetumq; erat marem, an feminã enixura foret, tamquam re incertâ, S. Gallenses refutauere. Ille militem, qui cogeret, expediuit, ductore Valdframo, Volfharti filio Comite Veringesi. Sed Mechtildis haut eius consilij ignara subito Vvalterum Vati baronẽ ex fratre nepotem Rhetorum tunc potentissimum, quo in statu versaretur, certiozem reddidit, & sibi extremo in tempore ne deesset deprecata est. Suitensium quoq; & Glaronensium auxilia sollicitauit. Coniunctis igitur cum ijs copijs, in S. Gallenses, qui Marchiam peruastabant, impetũ Valterus fecit, breuiq; ultra Lindemagũ, & lacũ repulit, pauci, quatenus omnes se ad primũ cõgressum in fugã præcipitarunt, interfecti ferro, multos flumẽ, lacusq; hauserunt. Peperit paullo post Mechtildis puerũ, quẽ ex patris nomine Rudolfum vocauit. Is bellum, & controuersiam aboleuit. Anno sexagesimo secundo Cunradinus præter Sueuiæ ducatu, Tigurum quoq; sibi vindicabat. Eius rei Tigurini cũ Richardum, qui se regem ferebat, certiozem fecissent tum forte Haginoæ agitantem, rescriptum dedit, quo rescripto ostendit Tigurum non ad ducatum Sueuiæ, sed ad Imperium ab antiquitate pertinere. Et quia eos tamquam rebelles idem Cunradinus proscripserat, eadem proscriptione eximit, Kal. Decembr. regni sexto. Sequenti anno, Cunradinus

A. D. N.

CIC. CC.  
LXII.

A. D. N.

CIC. CC.  
LXIII.

*A. D. N.*  
*CID. CC.*  
*LXIV.*

postremo Sueviæ ducatum pene totū recuperavit nemine resistente, cū rebus Richardi parum firmis summa Imperij, qui potiretur, nullus esset. Eodem tempore contra Manfredum tyrānidem in Italia habentem exciuit Vrbanus pontif. Carolum Andegauensem Prouinciæ Comitē Ludouici, qui inter Diuos colitur, regis Galliæ fratrem. Is anno tricesimo quarto triginta triremibus Massilia versus Romam soluit. Cometes insigni magnitudine ab Oriente ad medium cæli ascendens cum per menses tres effulisset eadem, qua Vrbanus, nocte extinctus est, mense Octobri. Creatus Pontifex

*A. D. N.*  
*CID. CC.*  
*LXV.*

Clemens I v. optimus vtique & eruditissimus, egregius bonorum Ecclesiæ dispensator. Carolum Andegauensem anno quinto, & sexagesimo, coronauit cum vxore Romæ regem Siciliae, & Neapolis, eumque contra Manfredum animauit, Cunradinum eadē opera exclusit, quasi pater, auusque vtroque regno, per multas quas Ecclesiæ intulerant clades, iure excidissent, Carolus anni sequenti vi. Kal. Martij cum Manfredo signa contulit, vicitque eum, & interfecit. Deditio hinc omniū facta, & ipse ab Clemente Vicarius Imperij & senator Romæ, gestis exsententia rebus, declaratus. Anno eodem exeunte, mortalitatem exiit Anshelmus Abbas, antistes sui temporis præcellentissimus, pontificiæ dignitatis, & sui monasterij libertatis defensor acerrimus. Fecit conē arcem contra Rapersvillensium aduocatorum insolentiam, & superbiam exstruxit, tamquam frenum, simul per Suitensia discidia, & bella refugium, eaque fabrica vltra mille quadringentas argenti libras exposuit. Palatium ad hoc Tiguri regium condidit. Primus abbatum ab Innocentio I v. pontificalem annulum, & chirothecam, aliaque ornamenta accepit, magnanimus, doctus, disciplinæ monasticæ obseruantissimus. De die obitus non conuenit. Alia monumenta pridie kal. Ianuarij, alij III. Kal. eiusdem mensis desideratum, adnotatum seruant. Habuit fratrem Rudolfum qui Castrum auitum Schuande apud Glaronenses infidebat clarum quoque ea tempestate militiæ virum. Post Anshelmum creatus abbas Vldaricus II. ex baronibus à Vinide, qui custodis tum officium obibat.

*A. D. N.*  
*CID. CC.*  
*LXVI.*

VDAL-